

Georg Detharding

Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis Georgius Detharding, Medicin. D. ac Profess. Publ. ... In Sanctissimo Hodierno Pentecostalis Festo Occasione dicti Actor. XIX. II. Ad instituendum examen rigorosum: Credentesne, Num Acceperint Spiritum Sanctum? Cives Academicos Excitat atque hortatur

Rostochii: Typis Joh. Jacob. Adleri, [1723?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877325111>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1723. Pfingsten.

~~A-1256. 178.~~

M. 1723 (?)

PROGRAMMA

QUO

RECTOR

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

GEORGIUS DETHARDING,

Medicin. D. ac Profess. Publ. Facultatis suæ,
Collegii Ducalis ac totius Academiæ
Senior,

IN SANCTISSIMO HODIERNO

PENTECOSTALIS FESTO



Occasione diei

ACTOR, XIX. II.

Ad instituendum examen rigorosum:

**CREDENTESNE, NUM ACCEPERINT
SPIRITUM SANCTUM?**

CIVES ACADEMICOS

Excitat atque hortatur.

ROSTOCHII,

Typis JO. JACOB. ADLERI, SEREN. PRINCIP. & Acad. Typogr.

M. 1256 178


I. N. I.



Rimo ex publica hac Tabula alloquio vos, *Optimi Cives*, compellendi necessitatem Rectoralis, qua munus sum, auctoritas mihi imponit. Et sane gratior mihi ac suavior vix suggeri potuisset materia, quam quæ ex limpidissimo Spiritus Sancti, cui sacrum hoc agimus festum, fonte prono fluit alveo. Hiantia cordium nostrorum arva irrigare, sacramque extinguere sitim si aliunde petiveris, cribro hauries aquam, teque *τῶν ἀνθρώπων* (a) pervagatum, vana creaturarum solatia anhelantem eludent corvum. Mellitissimâ igitur sacri hujus Flaminis memoriâ quid dulcius? Quò, nisi ad sacram hanc anchoram, confugiemus? Ubinam terrarum firmum figemus pedem, nisi in hac petra salutis? Quæ suaviora animum refocillare valent colloquia, nisi quorum nucleus cœlestem Spiritus Sancti sapit dulcedinem? Agite dum, *Cives Optimi*, mihi que dapes Ambrosia & Nectare vere divino stillantes vobis apparativo, de *Spiritu Sancto*, inquam, verba facturo animum arri- gite divina fame percitum. Vastissimus quidem, in quem summa cum jucunditate liceret exspatiari, campus de *Spiritu Sancto* dicendi se sistit apertum; At enim vero insignis dignusque, cui immorer, locus animum paulisper tenuit pendentem. Occurrunt Actorum Cap. XIX, 2. Johannis quidam discipuli, num sit *Spiritus Sanctus*? inscii prorsus & ignari. Quærens ex his Divus Gentium Apostolus ille Paulus: *Credentesne acceperint Spiritum Sanctum?* id tulit responsi: *ἀλλ' εἴ ἐι πνεῦμα ἁγίου ἐστω, ἠκούσαμεν.* At ne nos quidem, an sit *Spiritus Sanctus* audivimus. Supinæ hujus ignorantia hæud levis animum subiit admiratio. Judæosne dixerim, an Gentiles? quorum animus Cymmeria obnuptus erat caligine, ut in tanta luce lucem veram omnisque lucis auctorem non viderent; Christiani enim ut appellentur, nomen *μαθητῶν*, quo versu primo insigniuntur, non omnino jubet, eo quod eos Johannis discipulos fuisse, tertius versus dat evictum. Quo tamen excusatiùs errasse viderentur, Theologi plerique omnes non de ipso Spiritu Sancto, sed donis ejus miraculoso & visibili modo effusis verba hæc monent accipienda, quæ B. Daniel

Arcula-

(a) Luc. XI, 24. (b) In Commentario in Acta Apostolorum edito à B. Balth. Mentzero ad h. l. conf. etiam B. Chemnitii Examen Concil. Trid. P. II. Canon. I. de Baptismo Johannis p. m. 69.

Arcularius sic  *(b): Spiritus nomen h.l. metonymice de visibilibus*
& miraculosis Spiritus donis, vel linguarum cognitione & Prophetia intelligitur,
quibus id temporis fideles ornabantur ad confirmandam evangelii doctrinam.
Negant autem sibi cognitae esse visibiles illas Spiritus Sancti gratias; nam & h.l.
Spiritus nomen de singularibus Spiritus donis accipitur, quæ post Christi in caelos
ascensionem ecclesiæ conferebantur. Alioqui non ignorabant isti, esse Spiritum,
cum Scriptura passim ejus faciat mentionem, cujus illi utpote Judæi non prorsus
fuerunt ignari. Et sane ut in hanc sententiam pedibus eant Theologi,
haud spernenda subest ratio; Quis enim Spiritum Sanctum, quem tantum
non omnes Pandectarum divinarum paginae loquuntur, (c) qui-
bus Mosis & Prophetarum scripta audiendi singulis saltem sabbathis fie-
bat copia, Judæi nescirent? Quis fieret, ut Johannis discipuli, ejus cla-
rissimam, quæ Spiritum Sanctum vel indice quasi digito monstraverat,
concionem (d) adeo dedissent oblivioni? Hæc argumenta prohibue-
runt, quo minus plerique, hosce discipulos ipsum ignorasse Spiritum
Sanctum, ut crederent, à se potuerint impetrare. Ast qui vel maxime
de visibili donorum Spiritus Sancti effusione eorum verba interpretan-
tur, nondum tamen difficultatum effugerunt laqueos; Eadem enim
ratione eos urgebit ac premet dubium, quomodo visibilem Spiritus San-
cti in Apostolos effusionem, quæ Hierosolymis, quò tantam omnium
Judæorum molem sedibus suis undiquaque exciverat & contraxerat fe-
sti celebrandi solennitas, advolante singularum gentium turba, conti-
gerat publice, hi Judæi potuerint ignorare? Quidni, genuini Johannis
discipuli si fuissent, ex apertissimis ejus verbis (e) vel ipsorum spiritua-
lium donorum notitiam potuissent haurire? Accedit verborum haud
*contemnenda emphasis: *αὐτὸν ἔχοντες*, quæ si justa mentis lance ponderave-*
ris, evincunt, non solum, se Spiritus Sancti dona accepisse, negare, sed
hoc amplius quid inferre, ut sensus sit: tantum abest, ut Spiritus Sancti
donorum facti simus participes, ut præterea vel ipsum Spiritum San-
ctum esse, una cum ignarissimis sciamus. Nisi itaque naturæ verbo-
rum significationi vim inferre, sensumque literalem absque urgente ne-
cessitate deserere malueris, hosce spurios Johannis discipulos, Spiritus
Sancti non tantum dona, sed ipsum ignorasse, vel ut potius dicam, ne-
gasse fatendum est ingenue. Omnis quoque, quam primum concepe-
ram, admiratio simul exspiravit, ac in memoriam revocavi, foedissi-

A 2 mam

(c) Conf. præ reliquis Gen. I, 2. Job. XXXIII, 4. Psalm. XXIII, 6. CXXXIX.
 7. Jes. XI, 2. c. LXI, 1. (d) Joh. I, 32. 33. (e) Luc. III, 16.

mam Sadducæorum, quæ late inter Judæos serpebat, gangrænam, Horum enim inter deliria, quod resurrectionem mortuorum, angelos & Spiritum negaverint, Lucas recenset (f). Quo in loco πνεῦμα ab angelis per particulam disjunctivam: μήτε expresse distinctum, Spiritus creatos nequit denotare, sed Spiritum Sanctum καὶ ἐξοχὴν Spiritum in singulari numero haud obscure involvit. Sadducæos itaque non angelos tantum, sed Spiritum quoque Sanctum negasse, cum aperte satis constat, quominus, hosce discipulorum Johannis nomen præ se ferentes Sadducæorum Sectæ addictos fuisse, credam, nihil est, quod prohibeat; sed rationibus rite subductis in eam facile sententiam adducor, etiam hos inter cæteros Sadducæos Johannem, teste Matthæo, (g) accedentes, aqua quidem lustrali tinctos, falsis tamen, quibus imbuti erant, opinionibus pertinaci animo inhæsisse. Quam altas enim radices in animis Judæorum præconceptæ egerint opiniones, vel Apostolorum, qui per tot annos salutaribus Christi dogmatibus innutriti, nondum tamen suave illud de terrestri Messia regno somnium animo exuerant, docet exemplum. Neque verendum est, ne qua in ipsum Magistrum Johannem redundet culpa errorum, quibus ejus discipuli erant infecti; Genuini enim Magistri munia explevit Johannes, veram de Spiritu Sancto doctrinam, omnibus, ut notanter loquitur Lucas, (h) sincere instillans, sed discipulorum ea erat σκληροκαρδία, quæ, quo minus inveteratis erroribus nuncium mitterent, impediēbat. Omnes enim & singulos à Johanne aqua lustrali tinctos veram simul amplexos esse fidem, quis sibi persuaderet? secum reputans Matthæi verba: Hierosolymarum, totius Judææ vicinarumque regionum incolas ad unum omnes sacro Johannis lavacro fuisse initiatos, è quorum tamen numero vel paucissimi Christo nomen suum dederunt. Hujus itaque furfuris, Sadducæorum nempe de grege Epicuri porcorum placitis fascinosos fuisse, de quibus in dicto nostro est sermo, extra dubitationis aleam mihi quidem positum videtur. Quæ tamen hæctenus de illis, obstetricante nobis veritate, allata sunt, non sane eò, ut ignominia notam illis inuramus, tendunt, nec enim sua defraudandi sunt laude, quod ejuratis erroribus, sanam de Spi-

(f) Act. XXIII, 8. de his aliisque Sadducæorum erroribus prolixiori opera agunt Drusus de tribus Sectis L. I. c. 6. Scaliger in Elencho Trohæref. Jesuitæ Serarii. Leusdenius in Philol. Hebr. mixto Dissert. 19. & Lundius vñdem öffentlichen Gottesdienst der Hebræer. c. LXI. (g) Matth. III, 7. (h) Luc. III, 16.

ritu Sancto doctrinam amplexi, cœlestibus ejus donis, testante versu sexto, perfusi sunt affatim atque cumulati. Utinam fœdissimi hujus de Spiritu Sancto erroris ne alii in Scenam rediissent Promachi atque Patroni! At enim vero pestiferâ hâc hæreticorum, *Spiritum S.* tantum non convitiis proscindentium, lue nunquam non ecclesia laboravit. Maneat atrâ nocte pressum *Simonis Magi* virus, Helenam seu Selenen suam Spiritum Sanctum & *ἐννοια* divinam stolidius? inquam; an magis impiè? venditantis. Huic succenturiati sunt *Montanistæ*, *Samsæi* seu *Elcesaita*, *Samosateniani*, *Ariani*, *Semi Ariani* *πυροπόμαχοι*, *Macedoniani* & *Photiniani* (i) qui sanam de Spiritu Sancto doctrinam spurcissimis macularunt deliriis, ut impietasne penes eos atque blasphemia, an vero absurditas atque ignorantia major fuerit, judicare haud fit in expedito. Quam feracissima fuerint prima ecclesiæ Christianæ secula errorum de Spiritu Sancto, testem audiamus Gregorium Nazianzenum: *Nam alii*, inquit, *ἐνέργειας* meram esse dicebant; alii *creaturam*; alii *DEum*; alii cuiusnam attribuendus esset generi, ignorabant, *sacras*, uti ajunt, *litteras veriti*, quæ nihil super hac re expressum haberent; itaque nec venerabantur ipsum, nec debonestabant, medium quiddam obtinentes. (k) Ut hic recentioris ævi Hæreticos Socinianos (l) *Christoph. Sandium*, (m) & *Hermannum Deusingium*, (n) ne paginæ in nimiam excrescant molem, silentio involvamus. *ἰνσηστος* autem Orthodoxa Christi ecclesia hunc Spiritum Sanctum, tertiam Sacro Sanctæ Trinitatis Personam, summum cum Patre & Filio DEum uno semper clamavit ore atque adoravit. Quibus hæc summa Patri Filioque *ὁμοούσιος* Spiritus Sancti Deitas demonstratur, argumenta ab ovo repetere hic non vacat; Otia nobis fecerunt Theologi nostrates, in omnibus Systematibus, Collegiisque Anti-Socinianis thesin ortho-

A 3

xam

- (i) Conf. præter veteres Eusebium, Epiphanium, Sozomenum, B. D. Bebelius in Antiquitatibus Eccles. Sec. I. & II. art. 4. B. Ittigius de Hæresiarchis Sect. I. c. II. seqq. D. Colbergius de origine & progressu Hæresium c. I. Stockmannus in Elucidario Hæresium, sub singulorum nominum titulis. (k) In Oratione XXXVII, de Spiritu S. conf. & S. Basilius Lib. de Spiritu S. c. 20. (l) Conf. B. B. Calovii, Scherzeri, Schomeri Collegia Anti-Sociniana. Sectæ hujus historiam erudite perstrinxit D. Henricus Ascenius Engelken in Disput. de damnabili Socinianismi gangræna. (m) Vid. B. D. Zach. Grapius in Theologia controversa c. II. Q. 21. p. m. 161. (n) Qui Spiritum S. in V. T. fuisse negat in Demonstrationibus Allegor. Histor. P. I. p. 25. Conf. B. Grapius I. c. Q. 23. p. 175.

xam probationum robore prolixè æque ac solide munientes. (o) Haud levissimum erroris sui Palladium *πνευματομαχοι* illi quærunt in auctoritate Patrum Ante-Nicænorum, quos sibi *ὁμοψήφους* fingere summo fatagunt opere, in Doxologia ipsis consueta: *δοξα τῷ πατρὶ, καὶ υἱῷ ἐν πνεύματι ἁγίῳ*, non quod pueri in faba se invenisse persuasi, non eodem scilicet cum Patre & Filio adorationis cultu Spiritum Sanctum esse prosequendum (p). Verum enim vero sanctos Patres in errorum suorum societatem tracturi, vel ut potius dicam, obtorto collo abrepturi, fumos vendunt & imperitioribus obtrudunt glaucoma. Quantum enim æra lupinis, tantum vanis horum nugis Patrum sententiæ distant. Quod ut meridiano solis jubare clarius appareat; Ex primo statim Seculo testor *S. Polycarpum*, qui Spiritui Sancto eundem ac Patri & Filio religiosum defert honorem his verbis: *δια τῶν πατρῶν πάντων αἰῶν Ἡσὺς, εὐλογῶ, Ἡσὺς, δοξάζω Ἡσὺς, Ἡσὺς τῷ αἰωνίῳ καὶ ἐπισημῶν Ἡσὺς χριστῷ ἀγαπῆσῶ Ἡσὺς πατρὶ, μεθ' ἑμοῦ καὶ πνεύματι ἁγίῳ δοξα.* Ecclesia quoque *Smyrnenfis* epistolam suam sic claudit: *Ἐπρώτῃ ὑμᾶς εὐχόμεθα, ἀδελφοί, σοιχῆνθῆς τῷ κτ' τὸ εὐαγγέλιον λόγῳ Ἡσὺς χριστῷ, μεθ' ἑμοῦ καὶ δοξα τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι* (q). Neque, qui ad istam ætatem proximè accessit, *Justinus Martyr* ab hoc abludit, ingenuè professus: *Et profitemur quidem, nos talium, qui existimantur Dii, ratione Atheos esse, at non verissimi illius DEL, qui justitiæ & bonæ mentis reliquarum que virtutum est Pater & ab omni pravitatis communione sejunctus; sed illum pariter & Filium, qui ab eo venit, ac nos ista & exercitum reliquorum ipsum sequentium & ad ejus similitudinem se componentium Angelorum honorum, docuit,* **ET SPIRITUM PROPHETICUM RELIGIOSE COLIMUS ET ADORAMUS, CUM RATIONE ET VERITATE EOS VENERANTES.** (r) Pollicem his premit Seculi tertii initiis florens *Clemens Alexandrinus*, sic egregie fatus: *Ut nocte pariter & die usque in perfectam illam diem gratias agentes laudemus, laudantes gratiis prosequamur eum, qui solus est Pater, & Filium, qui filius est & Pater, CUM SPIRITU QUOQUE SANCTO,*

(o) His addi omnino meretur argumentum pro religiosa Spiritus S. adoratione quod ex Luc. II, 26. & 29. versibus inter se collatis erutam commonstrant Celeberrimi Auctores Relationum Innocuarum de Nov-antiquis Theol. A. 1711. Ord IV. n. 8. p. m. 468. (p) Conf. B. Grapius l. c. Quæst. IV. p. III. seqq. ubi Sandium, Whistonum Anglum & Observatores Hallenses imprimis solide refutat. (q) Conf. Eusebius in Hist. Eccles. L. IV. c. 15. ubi epistola ecclesiæ Smyrnenfis legitur, in qua historiam Martyrii Polycarpi narrant, ejusque orationem, ex qua verba priora desumpta sunt, recensent hujus ecclesiæ Ministri. (r) In Apologia Ilda p. 56.


SANCTO, unum per omnia, in quo sunt omnia, propter quem omnia unum sunt, propter quem aeternitas, cujus membra omnes sumus, cujus Gloria in secula, per omnia bonum, per omnia pulchrum, per omnia sapientem, per omnia justum, cui gloria & nunc & in secula (f). Quæ quidem omnia Patrum testimonia, cum luculenter nostram de Spiritus Sancti Deitate & cultu religioso fidem adstruant, Patres τὴν προσκυνήσιν τελεῖν, ut loquitur Origenes (t) invocantes, conspirasse nobiscum harmonice, sat satis demonstrant. Spiritum itaque Sanctum, Cives Optimi, ceu summum, verum unicum cum Patre & Filio DEum, cum cana & veneranda antiquitate pie colendum vobis ac adorandum religiose, vel me tacente, facili negotio intelligetis, nec Vestrum quenquam, quæ DEI est gratia, adeo crassa captum tenet ignorantia, ut adductorum supra Johannis discipulorum verba faceret sua: ἀλλ' εἰ ἐν πνεῦμα ἁγίῳ ἐσθε, ἠέξασατε. Ast quod si vel ad Vos dirigatur quæstio: Credentesne accepistis Spiritum Sanctum? Utinam prævio cordis scrutiniō cum immota mentis πληροφορία id affirmare singulis datum esset! Nostisne vos DEI templum esse, & Spiritum Sanctum in vobis habitare? (u) Vosmet tentate, si estis in fide, probate vos ipsi! (x) Ex fructibus cognoscetis. (y) Fructus enim Spiritus Sancti sunt: *charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* (z) Ab his qui toto distant cælo, carnis fructus sanctissimi hujus Spiritus societate ac commercio vos excludunt prorsus ac eliminant. Spiritus enim Domini est Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis (aa). Quibus gratiæ donis nisi viva fide instructi, in Spiritu quoque ambulaveritis, vana est vestra de Spiritus Sancti, inhabitatione gloriatio. Sacrum, quod jam celebramus, Festum in Veteri Testamento יום תבואתם dies primitiarum appellatur


- (f) In divino Pædagogi Epilogo. L. III. c. 12. (t) Origenes T. VI. in Johannem Vol. 2. Opp. Exeget. Plura Origenis Athenagoræ, Julii Africanæ, Cypriani aliorumque testimonia cumulari potuissent, ni pagellarum angustia prohiberet, legi illa possunt apud Dionys. Petavium in Dogmat. Theol. T. II. p. 298. seqq. Georg. Bullum in defens. Fidei Nicænæ. B. D. Calovium in Disput. habita A. 1658. sub tit. Confessio Martyrum aliorumque fidelium post Apostolorum excessum de S.S. Trinitate. Addatur B. Gottfridi Olearii Dissertatio de Spiritu S. cum Patre & Filio adoratione Lipsiæ habita A. 1711. (u) 1. Cor. III, 16. (x) 2. Cor. XIII, 5. (y) Matth. VII, 20. (z) Gal. V, 22. (aa) Jes. XI, 2.

tur (bb) duplex enim erat oblatio primitiarum, altera *δευτέρα*, secunda die Hebdomadis Paschalis, qua largissimam messem à DEO expetebant; altera *εὐχαριστική* in hoc festo pentecostes, qua pro feliciter peracta messe gratias solvebant DEO (cc). Has terrestres primitias Judæorum quam longissime superant Novi Testamenti primitiæ Spiritus Sancti in hoc festo; oblatae, quarum mentionem injicit Paulus (dd). O terque quaterque beatos! qui has Spiritus Sancti primitias primoribus fidei labiis degustarunt; (ee) Futura enim cœlestium perfectissimæ maturitatis fructuum & bonorum messe saturabuntur. Eo itaque, *Cives Optimi*, omnes intendatis nervos, ne hæ primitiæ, hæc *χαρισματα* Spiritus Sancti in lavacro regenerationis vobis collata moribus Spiritu Sancto indignis amittantur, sed ut potius augeantur in dies, accrescant, & quantum hujus vitæ patitur conditio, maturescant. Quod sane fiet, si ardentissimis precibus, non fucatae pietati, omnibusque Christiano dignis virtutibus, ut omni omnino tempore, ita hoc quoque imprimis Festo, sincero studio toti incumbatis, & proscriptis ac procul exulare jussis quibusvis vitiorum, quæ sanctissimum hunc Spiritum expellunt, generibus, in omnibus vestris actionibus Spiritum Sanctum Ducem ac lucem sequamini, memores dicti Paulini: *Filii DEI sunt, quicumque Spiritu DEI aguntur.* (ff)

(bb) Num. XXII, 26. (cc) Conf. Lightfoot in Horis Hebr. ad Matth. XII. p. 339, it. Joh. Andr. Quenstedii Antiquit. Biblicæ & Eccles. c. X. n. 5. p. 842. seqq. (dd) Rom. II, 23. (ee) Hebr. VI, 4. 5. (ff) Rom. II, 14.







SANCTO, unum per omnia, in quo sunt omnia, propter quem omnia unum sunt, propter quem aeternitas, cujus membra omnes sumus, cujus Gloria in secula, per omnia bonum, per omnia pulchrum, per omnia sapientem, per omnia flum, cui gloria & nunc & in secula (f). Quæ quidem omnia Patrum testimonia, cum luculenter nostram de Spiritus Sancti Deitate & cultu religioso fidem adstruant, Patres τὴν προσκυνητὴν τετραδα, ut loquitur Origenes (t) invocantes, conspirasse nobiscum harmonice, sat satis demonstrant. Spiritum itaque Sanctum, Cives Optimi, ceu summum, verum unicum cum Patre & Filio DEum, cum cana & veneranda antiquitate colendum vobis ac adorandum religiose, vel me tacente, facili negotio intelligetis, nec Vestrum quenkam, quæ DEI est gratia, ad crassa captum tenet ignorantia, ut adductorum supra Johannis discipulorum verba faceret sua: ἀλλ' εἰ πνεῦμα ἅγιον ἔσω, ἠέσομαι. Ast quæ si vel ad Vos dirigatur quæstio: Credentesne accepistis Spiritum Sanctum? Utinam prævio cordis scrutiniō cum immota mentis πληροφορία id affirmare singulis datum esset! Nostisne vos DEI templum esse Spiritum Sanctum in vobis habitare? (u) Vosmet tentate, si estis in de, probate vos ipsi! (x) Ex fructibus cognoscetis. (y) Fructus enim Spiritus Sancti sunt: *charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* (z) Ab his toto distant cælo, carnis fructus sanctissimi hujus Spiritus societate commercio vos excludunt prorsus ac eliminant. Spiritus enim Domini est Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis (aa). Quibus gratiæ donis nisi viva fide fructi, in Spiritu quoque ambulaveritis, vana est vestra de Spiritu Sancti, inhabitatione gloriatio. Sacrum, quod jam celebramus, festum in Veteri Testamento יום הכבודים dies primitiarum appe-

(f) In divino Pedagogi Epilogo. L. III. c. 12. (t) Origenes T. VI. in Johann. Vol. 2. Opp. Exeget. Plura Origenis Athenagoræ, Julii Africanæ, Cypriliorumque testimonia cumulari potuissent, ni pagellarum angustia preberet, legi illa possunt apud Dionys. Petavium in Dogmat. Theol. T. I. 278. seqq. Georg. Bullum in defens. Fidei Nicænæ. B. D. Calovium Disput. habita A. 1658. sub tit. Confessio Martyrum aliorumque fidelium post Apostolorum excessum de S. S. Trinitate. Addatur B. Gottfridi Olearii Dissertatio de Spiritu S. cum Patre & Filio adoratione Lipsiæ habita A. 1700. (u) 1. Cor. III, 16. (x) 2. Cor. XIII, 5. (y) Matth. VII, 20. (z) 1. Cor. V, 22. (aa) Jes. XI, 2.

